Ius eccl

Cromeri Martini. Orechovius sive de coniugio et coelibatu sacerdotum commentatio.

Colon. 1564.

MARTINI CROMERI ORECHOVIVS, SIVE DE CONIVGIO ET COELIBATV SACERDOTVM COMMENTATIO,

Ad Stanislaum Orechouium.

Nunc primum edita.



COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum,
M. D. LXIIII.
Cum Gratia & Priuilegio Cæs. Maiest.

MARTINI CROMERI ORECHOVIVS, SIVE DE CONIVGIO ET COELIBATV SACERDOTVM COMMENTATIO.

Martinus Cromerus Staniſlao Orechouio. S. P.

QVod tardius quàm volebam, & quàm oportuit, promiſsũ tibi mitto Orechoui, in cauſa eſt, vt ſcis, peregrinatio mea & legatio, quam apud Ferdinandum Rom. Regem hoc tempore obiui regio nomine. Hoc verò alacrius id à me tibi iam præſtandum eſſe exiſtimaui, ꝙ in hac peregrinatione mea honorifici de te ſermones, & cum permagna ingenij, doctri

 næ &

næ & eloquentiæ tuæ laude con iuncti à nonnullis grauib. ac doctis viris mecum habiti sunt aliquoties. Neque enim existimare debes Orechoui, obscurum esse nomen tuum apud exteros, Germanos, inquã, Gallos, Hispanos, & Italos, cũ quibus mihi aliquid rei fuit: aut non tractari & versari manibus eruditorum & elegan tium hominum scripta tua, & ingenij monumenta, quibus tu Poloniam copiosè, subtiliter, grauiter, ornatè, & ad persuadẽdum appositè de rebus magnis scribẽdi laude in primis illustrare iudicaris. Quæ ego sanè lubens audiui, cum pro meo erga communẽ patriam officio, tum pro mutua nostra amicitia, ità vt nonnullam laudum tuarum partem in me redundare arbitrarer. Non putaui autem

Orechouij Encomium.

autem mihi committẽdum esse, quin hæc ex me scires, simulque quid in te requirant viri sapiẽtes, & perpurgatis non magis aurib. quàm animis & iudicijs. Id verò est, quod dolent ij, te contentiõe quadam ingenij acris & vehemẽtis elatum, abuti nonnunquam istis tam præclaris virtutibus ad ea scribenda quæ, vt quàm mollissimè dicam, ecclesiæ catholicæ authoritati atque tranquillitati, qua salus omnium nostrûm con tinetur, his perturbatissimis tem poribus restituendæ non vsquequaque seruire videantur. Equidem licet pro amore in te meo vellem, tamẽ non omnia tua pur gare aut excusare acutis hominibus potui. Quale est vnum istud de coniugio tuo, ac cœlibatu eorum, qui sacris initiati sũt: in quo

 & ipse,

& ipſe,vt ſcis,abs te valdè diſſentio. Quid autem de eo ſentiam,ſiue adeò quid ſentiat eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis,à cuius ſenſu & authoritate ego ne latum quidem vnguẽ vnquam ſciens diſceſſero, & antehac ſermonibus ac ſcriptis noſtris cognitum habere debes, & nunc hac ſiue epiſtola,ſiue commẽtatione noſtra abs te efflagitata,planius & fuſius etiam cognoſces. Non expectabis autem ab homine ieiuno, & alijs quibuſdam negocijs diſtracto copiam & ſplẽdorem verborum atque ſententiarũ,pręſertim in huiuſmodi tractatione, quæ nõ perpetuo fluxu orationis, ſed canonum Eccleſiaſticorum teſtimonijs proferendis potiſsimum conſtat:qualem & tu voluiſti, & ego tibi homini

acuto,

acuto, & canonũ Eccleſiaſticorũ, quemadmodum videri vis in primis obſeruãti, ab ijs quidem certè potiſsimum opem & præſidiũ cauſæ petenti,& in ijs te acquietu rum eſſe mhi pollicito, ſufficere arbitror. Sed iam ad rẽ ipſam aggrediamur.

Lex de cœlibatu ſacerdotum, è doctrina & exemplis Chriſti & Apoſtolorum videtur ſumpſiſſe originem. Tanta certè fuit in primis illis Chriſtianis, Chriſti & Apoſtolorum diſcipulis perſuaſio, placere Deo caſtam & cœlibem vitam,vt in vniuerſum ij coniugio ſibi abſtinendum eſſe exiſtimarent, vſqueadeò, vt qui coniuges ad Chriſtianiſmum acceſſiſſent, & ipſi ſegregarent ſe deinceps à coniugali coniugum conſuetudine:cuius rei teſtes ſunt cũ *Caſtitá. & cælib. ſtudiũ in priſcis Chriſtiá.*

 Philo

Philo, περὶ ἱκετῶν ἢ βίου θεωρητικοῦ. 1. Cor. 7.

Philo Iudæus, tum Paulus Apostolus ac doctor gentium, vbi respõdet ad quæsita Corinthiorũ, quæ quidẽ non obſcurè indicat hæc fuiſſe: An liceat Chriſtianis coniugibus inter ſe cõiugali operi vacare, an contrahere matrimonium. Mitto enim duo reliqua, quippe quæ ad rem noſtram non pertineant. Quid igitur ad hæc Paulus, qui non falsò putat ſe habere ſpiritum Dei? Noluit quidẽ promiſcuæ multitudini cœlibatus iugum imponere, idq́; ex indulgentia, quemadmodum ipſe profitetur, imbecillitati humanę conſulens: conſilium tamen præbet ijs qui perfectiores eſſe, Deoq́ue impenſiùs placere ſtudeant: Coniugibus quidem, Bonum eſſe homini, mulierem ſiue vxorẽ non tãgere: Quod itidem de muliere

liere ac de viro intelligẽdum eſt: cælibibus autem, Bonum eſſe & ipſis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ipſe. Nec in hoc aduerſatur edicto Dei, qui dixerat olim: Nõ eſt bonum hominem eſſe ſolum. Et: Creſcite & multiplicamini. Sicut ne Chriſtus quidẽ ipſe Dei filius, cuius exemplum atque doctrinã in eo Paulus ſecutus eſt. nam & ille, qui illa prius cum patre & ſpiritu ſancto edixerat, virginem & perpetuam caſtitatem profeſſam matrem elegit, cœlebs ipſe caſtè vixit, cœlibatumq́ue & caſtitatẽ ità commendauit, cum de Eunuchis, qui ſe caſtrant propter regnum cœlorum loqueretur, vt & munus diuinum eum eſſe oſtenderet, & ampliſsimum regni cœleſtis præmium ipſi adiungeret. Quid igitur? Non pugnant hæc

Gen. 1. et 2. & 9. Luc 1. Mat. 19.

cum illis inquies? Non ſanè. Nihil.n.pugnãs,nihil falſũ in veritate eſt,hoc eſt,in verbo Dei. Tã hęc aũt,q̃ illa verbo Dei ſũt ꝓdita, vt ne dicam,magis ea,quę per ipſum verbum & filium Dei quàm quę per ſeruum:quę in ipſa rerum veritate, quàm quæ in vmbra & figura. Sed vtrobique tempori ſeruitum eſt,cuius ratio diuerſa eſt. Nimirum, initio quidem mundi conditi non tam ſingulis hominibus,quàm totius generis humani propagationi atque conſotiationi conſulebatur. Itaque præcipiebatur id, quod non perinde inſitum eſt in natura hominũ,ac diligere ſeipſum, ad quod præcepto opus non eſt. Quanquam illud: Creſcite,& multiplicamini,& replete terram: non tã pręcepti vim habere videtur,quã gratiæ

Heb.3. & 10.

Coniugij instituti ratio.

gratiæ & benedictionis diuinitus indultæ coniugio. Quod ipſum Moſis verba præ ſe ferunt. Sed vt tibi dem, præceptum illud fuiſſe,poſteà certè impleto hominibus orbe terrarum, non tantam id vim habere debuit, ratiõe eius (quæ eſt anima legis) ceſſante. Ac ne habuit quidem, etiam in veteri illo & carnali populo, cui lex peculiariter à Moſe conſcripta fuit. Quamuis enim eius populi propagatione veri Dei cultus,in omnibus alijs totius mundi gentib. ferè extinctus,propagaretur, & ex eius propagine Meſsias generis humani ſeruator ſecũdum promiſſa diuina naſciturus eſſet, non defuere tamen in eo ipſo populo viri pręſtãtes,&ab ipſo Deo laudati,qui poſthabito præcepto illo ſcilicet,minuſque indulgentes

tes imbecillitati corruptæ naturę (cui in remedium etiam indultũ est cõiugium) cœlibem & castam vitam pietate quadã sublimiore amplecterẽtur. Quales fuêre Hieremias, Daniel, Elias, Elisæus, & qui cum eo habitarunt filij Prophetarum. Neque enim verisimile est, eos tam multos cum vxoribus in vna domo, quam ipsi sibi extruxerant, habitasse. Quales etiam in vniuersum fuerunt Essei siue Esseni Hebræorum philosophi: Qualis denique plusquàm Propheta Ioannes Baptista. Atq; id in carnali illo populo, vigente lege, gratia verò nondum propagata & promiscuè vulgata, non modò non reprehensibiliter, verumetiã laudabiliter fiebat. Quid in spirituali, qui propagatiõe doctrinæ Christi, in omnes gentes & per

4.Re.6.

Iosephus antiq.Iudaic.l.18 c.2. et de bello. Iudaic.li.2. cap.7.

Mal.1.

Psal.112.

& per vniuersum orbem terrarũ diffundi debuit ac debet? Certè carnali generis propagatiõe opus non est. Imò hæc illi nonnullo est impedimento, si Paulo, atque adeò Christo ipsi credimus. Imbecillitati autem vitiatæ naturæ remedium aliud præsto est, nempe gratia Dei per spiritum sanctum super omnem carnem abundè effusa, qua virtus in infirmitate perficitur, & libidinis impetus reprimuntur atque cohibẽtur. Atque ità quidẽ Paulus & Christus, quo contendendum sit omnibus non tacuêre, multitudinis tamẽ promiscuæ, quæ rerum terrenarum cura distracta, minus vacat gustando & videndo, quàm suauis sit Dominus, imbecillitati plusculum indulsêre. Hic quidẽ dum dicit: Non omnes capiunt verbum

1.Cor.7. Matt.19. Luc.14.

1.Cor.12 Sap.8.

Psal.33.

Mat.19. 1.Cor.7.

verbum hoc. Ille verò: Vnusquisque suam vxorem habeat. Et: Si autem acceperis vxorem, nõ peccasti. Et vt agnoscas indulgentiã, Paulus quidem Non peccasti, ait: Non Rectè fecisti: sicuti dicit intrepide, Bonum est homini mulierem nõ tangere. Christus verò: Qui potest capere capiat. Quid perfectiorib. & qui ad propagandam religionem peculiariter se-
Luc. 14. Mar. 8. & 10. gregabantur? Non item. Quin relinquere ij iussi sunt domos, & vxores, & liberos, quæ iã habebãt, & charissima quęq; propter Christum & Euangelium: propagandum videlicet. Quod quidem nõ affectu modo, sed reuera etiã ità primi fecere Apostoli, sicut ipsi
Mat. 19. per os Petri testati sunt: alijsque faciendum & verbis, & exemplo certè suo prodiderunt. Tametsi

ne scri-

ne scriptis quidem id facere prætermiserunt. Huc enim pertinet illud, quòd scribit Paulus ad Timotheum Episcopum, Teipsum castum custodi. Et: Dico autem non nuptis & viduis: Bonum est illis, si sic permanserint. Ad idq; cum exemplo suo inuitat, adijciens: Sicut & ego, tũ vtilitate proposita: Qui sine vxore est, inquiens, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Quin viduam quoque ad ministerium Ecclesiasticum non nisi cœlibatum professam deligi oportere, idem non obscurè ostendit, cum iuniores viduas in eo delectu vitandas esse præcipit, propterea quod eæ, cum luxuriatæ fuerint in Christo nubere velint, & ob id damnationem habeãt, quia primam fidem (nimirum Deo da

I.Tim. 5. I.Cor. 7. I.Tim. 5.

tam

tam)irritam fecerunt:idque non modo nubendo, sed etiam sola nubendi voluntate. Nec his aduersatur, quod idem scribit, Episcopum, presbyterum, atque diaconum vnius vxoris virum esse oportere. Neque enim hoc sic accipiendum est, quasi Paulus præcipiat, ducendas aut habēdas omninò his esse vxores, & operi coniugali indulgendum: Alioqui dānaret sanctus Apostolus non modò Timotheum illum suum, & innumerabiles turmas Episcoporum, presbyterorum, atque Diaconorum, quos omnibus sæculis in toto orbe Christiano cœlibes ad eos ordines peruenisse, cœlibesque in ijs vitam exegisse constat, verum etiam seipsum, & alios apostolos, & communem magistrum Christum. Nec sanè ante nostram

1. Tim. 3. Vnius uxoris uir.

nostram ætatem tot sæculis, quibus Christiana religio per orbem terrarū diffusa est, ausus est quisquam sic illa apostoli verba interpretari: Ne Iouinianus quidem, quamuis in hac parte multum indulserit ijs, qui sacris initiati sunt. Quid igitur ea sibi volunt? Quid aliud, nisi quod Paulus primorum illorum Christianismi temporum quibus adulti ferè, & matrimonij vinculo adstricti, gētiles iuxta ac Iudæi, Christo nomina dabant, rationem ducens, indulsit, vt non obstante coniugio, viri idonei cæteræ multitudini in religione præficerentur? Qui sensus ex ipsis Apostoli verbis hac ipsa de re ad Titum scribētis facilius deprehenditur. Neque enim sic ibi scribit, vt dicat presbyterum vnius vxoris virum es-

Tit. 1.

ſe oportere, ſed vt eum conſtitui velit presbyterum, ſi quis ſine crimine eſt, vnius vxoris vir, filios habens fideles, &c. Quibus verbis quemadmodum non excludit eũ qui nullos, ſed eũ ſolum, qui infideles, luxurioſos, & inobedientes filios habeat, vel habuerit, ità neque cœlibem aut viduum excludit, ſed digamum modo, ſiue is talis adhuc ſit, ſiue eſſe deſierit. Quo nomine viduę quoque maritum complectitur. Quam interpretationem cum ſãcti patres cõprobant, tum optimus ſcripturæ interpres perpetuus vſus & praxis Eccleſiæ catholicæ, ſed in re minus controuerſa, ad te præſertim ſcribẽti, Staniſlae Orechoui, immorandum non eſt. Ne illud quidem nobis in controuerſia eſt: An ijs, qui cœlibes ſacris ini-

Sacris initiato uxorẽ ducere an liceat.

initiati ſunt, deinceps vxores ducere liceat. Conuenit enim, Non licere ſecundum canones Eccleſiaſticos. Extat ea de re canõ Apoſtolicus: Extat Neocæſarienſis Synodi: Extat & Romanæ, cui ducenti ſeptuaginta amplius Epiſcopi præſidente Syluestro Papa interfuêre: Extat etiã Sextæ Oecumenicæ, ſi modo eius ſunt ij canones, qui hoc nomine circunferuntur. De quibus quid ſentiẽdum ſit, dicam inferius. Fit etiam apud Nicephorum, & eo vetuſtiores Socratem & Sozomenum ſcriptores Græcos hiſtoriæ Eccleſiaſticæ mentio Paphnucij Epiſcopi confeſſoris, quod ei Synodus Nicæna aſſenſa ſit, cum is antiquam & moribus receptam ea de re traditionem eccleſiaſticam commemoraſſet. Quæ quidem

Cano 27 Apoſto. Nicæ. Sy. c. 1. Nicæ li. 8. c. 19. Rom. c. 8 Sextæ cano. 6.

hodieque valet apud omnes gentes, quæ nomine Christiano censentur, exceptis Pseudeuangelicis istis canonum, dogmatum, rituum, & rerum omnium nouatoribus. De pœnis præuaricantium, inter nos Orechoui non conuenit. Verum de ijs mox, si prius illud obiter pertractauero, quod ne ipsum quidem extra cõtrouersiam est: Nimirum, an Episcopo, presbytero, diacono, & hypodiacono vxore ante initiationem ducta vti liceat? Ac de Episcopo quidem non obscurus est, nisi ego fallor, hac etiam in parte omnium Christiani nominis populorũ atq; tẽporũ, hoc est Ecclesiæ catholicæ sẽsus atq; consẽsus, iã inde ab Apostolis ad nos deriuatus: quo nefas id habetur. Pręter, q in Oriente non insolẽs tamen

Matrim. ante initiationẽ cõtracti vsus an sit licitus postea.

tamen id fuisse quodam tempore apud nõnullos, testificatur Socrates, licet ibi quoq; celeberrimi qq; vltrò abstinerẽt. Ità vt priuata illa paucorũ consuetudo ex eo genere esse videatur, de quo scribit grauissimus author Epiphanius. At hoc nõ est iuxta canonẽ, inquiens, sed iuxta hominũ mentem, quæ per tempus elanguit. Posterius certè cousuetudo seu libertas illa tacito omnium gentium Christianarum, consensu exoleuit: vt taceam, idem sancientem canonem sextæ Synodi Oecumenicæ, cuius mentionem dudum feci. Extat quidem canon Apostolicus, quo interdicitur Episcopis ac presbyteris, ne sub obtentu religionis proprias vxores abijciant. Sed hoc de cura modo non etiam de consuetudine

Socrates l.5.c.22.

Epipha. l.2.to.1. contra hæres.

Cano.12.

Can.6. Apost.

cõiugali rectè intelligitur. Quod è secunda D. Clementis eius, qui canones illos conscripsisse existimatur, ad Iacobum fratrem Domini epistola rectè colligitur. Et adstipulatur huic sententiæ consensus vniuersæ ferè veteris Ecclesiæ sicut iam è Socrate & Epiphanio demonstraui, & Apostolorum perpetua continentia, de qua scribit grauis author Eusebius Cæsariensis. Atque adeò gloriantur ipsi apud præceptorem suum Christum. Ecce, inquiunt, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Nec ille factum improbauit: quin præmia quoque ijs, quicunque cùm alia tum vxores reliquissent, promisit. Nec est credibile ipsos canonem à se conditum præuaricatos esse, vel aliter successoribus suis præcepisse ac ipsi

Clemens ep. 2. ad Iacob.

Eusebius demonst. euan. l. 3.

ipsi fecissent. Episcopum certè, quod ipse non ignoras, ne nunc quidem ad Græcos, Russos, Armenos, & orientales omninò, quos tu in primis admiraris, liberis operam dare fas est. Abijcere autem curam vxoris neque nunc est, neque vnquam fas fuit. De presbyteris verò ac diaconis non eadem est omnium sententia. Diuersi sunt ac fuerunt olim populorum, temporumque mores, & instituta. Liberum est ijs apud Græcos, & Russos dare operam operi coniugali. Olim liberum fuit apud alias quoque nonnullas gentes. Nec ante Nicænam Synodum vsquam, in oriente duntaxat, id vlla lege vetitum fuisse, constat è Socrate, Sozomeno & Nicephoro. Cum enim in ea Synodo patres id vetare vellent,

Epiph. li. 2. to. 1. Socrates li. 1. ca. 11. Sozome. li. 1. ca. 23 Niceph. l. 8. ca. 19

 Paphnu-

Paphnutij authoritate sicuti scribunt illi, de sentẽtia deducti quieuerunt, & quemadmodum fuisset ad eam diem, deinceps quoq; arbitrarium cuique reliquerunt. Gangrensis verò prouincialis Paphlagoniæ Synodus non multò post acta, etiam anathemate ferijt eos, qui dicũt, sperni debere presbyterum, qui vxorẽ habeat, nec eo ministrante de oblatione percipi oportere. Nec dissimilis est canon Sextæ Synodi Oecumenicæ, qui & ipse vsum coniugij ante initationem contracti permittit hypodiaconis, diaconis, & presbyteris, ea tamen lege, vt se vicis suæ tempore, & quando sacris operantur, abstineant. Atque hæc ferè pro coniugio sacerdotum in medium afferuntur è canonibus & moribus Ecclesiasticis: Non quòd

Gangre. conc. ca. 4. l. 2. ca. 43.

quòd contrahere id initiatis liceat, sed quod ante initiationem contracto vti nefas non sit. Quid igitur affertur in contrarium? Clementinæ & extrauagantes. Ne has quidem contemnere debes Orechoui. Aut si pergis, vide ne temporis causa scripsisse existimeris ea, quæ de Ecclesia & cathedra Petri conscripta in lucẽ edidisti: Et ne competat in te dictum illud, quo D. Augustinus perstringit Donatistas, & perstringi rectissimè possunt nostri tẽporis Pseudeuangelici. Quod volumus, sanctum est: vel illud Apostolicum. Qui potestati resistit ordinationi Dei resistit. Qui autem ei resistũt damnationem sibi acquirunt. Sed ego non ita tecum agam. Ne Syritij quidem, quem quidẽ amicus meus, è Verrinis & Philippicis Cicero-

Rom. 13.

Ciceronianis maledicta mutuatus, Indignè tractauit: neque Innocentij primi, & Leonis item primi, ac Lucij Martyris, & Clementis, qui fuit Pauli discipulus, & ab ipso Petro cathedræ successionem accepit, vetustorum & sanctorum pontificum decretis & authoritate magnoperè te vrgebo. Minus etiam Ambrosij & Hieronymi sanctorum & orthodoxorum doctorum, quorũ vterque aliquanto plus, quàm quidã nostro sæculo, tribuit cathedræ Petri, & præsidum eius placitis. Quod cernere est in eorum Epistolis, Hieronymi quidem ad Damasum, Ambrosij verò cum nõnullis alijs vicinis Episcopis ad Syritium. Omittam & vetustiorẽ his Originẽ. Nec mores moribus opponam. Possem autem nõ modo

Concil. tomo.1. Clemens ad Iacob. epist. 2.

Ambros. in epi. 1. ad Tim. 3 Hier. aduers. Iouinian. & ad Pammach. in apolog.

Hiero. ad Damas.

Concil. to. 1. in uitia Syr.

modo occidentales, verumetiam Africanos, Aegyptios, Græcos, Macedonicos, Thessalicos, addo etiam orientales, oriẽtalibus: vetustiores recentioribus: perpetuos temporarijs: magis consentaneos disciplinę ecclesiasticę, traditioniq́ue Apostolicę, minus cõsentaneis. Non ignoras enim opinor, de Thessalis quidem & Macedonibus & Græcis à Socrate memoriæ mandatum esse: Moribus eorum receptum fuisse publicè cœlibatum sacerdotum. De AEgyptijs quoque, ex ijs, quæ Nicephorus de Synesio prodidit, idẽ rectè colligitur. Cum de his autẽ ipsis, tum de occidentalib. & orientalibus etiam disertè idem testatur Hieronymus, aduersus Vigilantium scribẽs. Et sanè, si quisquam alius, hic certè perspectos habere

Mores gentium.

Socr. li. 5 ca. 22.

Niceph. l. 14. c. 55

habere debuit mores vtrorumq; Fuit enim Romanus presbyter, ſed in oriente ac Syria magnam ætatis partem exegit. De Afris quoq; idem ſtatim planum fiet. Sed mitto mores. Tametſi veriſsi mum eſt illud, quod D. Auguſtinus ſcriptum reliquit: In ijs reb. de quibus nihil certi ſtatuit diuina ſcriptura, mos populi Dei & inſtituta maiorum pro lege tenẽda ſunt: Et ſicut præuaricatores diuinarum legum, ita cõtemptores eccleſiaſticarum conſuetudinum coërcendi ſunt. Scitum eſt & illud Apoſtolicum. Si quis autem videtur cõtentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque eccleſia Dei: A qua tu ſanè has tot tamq́ue late patẽtes, & pietatis cultrices gentes, quas ego modo commemoraui, non excludis,

Augu. ad Caſul.

1. Cor. 11.

excludis, opinor, Orechoui, illis præſertim vetuſtioribus temporibus. Sed non patiar te vagari animo per hæc anfractuoſa ſpacia. Ad id venio, quod vnum te expectare intelligo: Nempe ad eccleſiaſticos canones, quibus te tantũ tribuere video, vt nimium id fortaſsis cuiquam videri queat. Ecquem igitur de perpetua ſacris initiatorum continentia canonem ego profero? Permultos: ita vt neſciam, vnde ordiar potiſsimũ, à recentioribúsne, an à vetuſtiorib. Occidẽtalib. an Africanis. Verũ ſeruemus rtaionẽtemporũ. Sic enim recte canones cum canonibus, fauentes coniugio cum aduerſantibus contendemus. Primum igitur Elibertana prouincialis Hiſpaniẹ ſynodus, ſub idem fere tempus cum Gangrenſi Cõſtanti-

Canones eccleſiaſtici de cœlibatu ſacerdot.

ſtantino magno imperante acta, tāto plus ponderis habere debet, quàm illa altera, quantum cedit Paphlagonia Hiſpanię, & quanto plures hîc, quàm illîc interfuere

Elib. ſyn. ca. 33. epiſcopi. Eſt autem hic eius canō 33. Placuit in totum prohibere epiſcopis, presbyteris, diaconis, ac ſubdiaconis poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à coniugibus ſuis, & non generare filios. Adiecta eſt pœna, quam nunc ommitto. In Nicena prima ſynodo Oecumenica nullus ea de re canon perlatus eſt, intercedente Paphnutio, quemadmodum ſuperius indicaui: ne in contrariam quidem partem. Sed circa eadem tempora

Arel. ſyno. 2. c. 2. habita eſt in Gallia ſynodus Arelatēſis ſecunda: Cui permulti epiſcopi non Gallici modo, verumetiam Germanici, Britannici, Dalmatici,

matici, Italici, Hiſpanici, & Africani, & Syluestri Papæ legati interfuere. Huius canon ſecundus nō obſcurè interdicit vſum coniugij ſacerdotibus. Negat enim quenquam in vinculo coniugij conſtitutum ad ſacerdotium aſſumi oportere, niſi fuerit promiſſa conuerſio. Quod nihil aliud eſt, quàm continentia ab opere coniugali. Eodem pertinere videtur canon 19. Romanæ ſynodi, quæ ducentos ſeptuaginta amplius epiſcopos non modo occidentales, verumetiam Africanos & Græcos præſidente ipſo Silueſtro Papa habuit. Quod ſi quis tamen contendat, hunc canonem Romanæ ſynodi non de vſu, ſed de contractu modo matrimonij intelligi debere, non magnopere pugnabo. Illum certe ſuperiorē cauillari

Rom. ſyn Can. 19.

Syr. in epistol. ad Himeriũ. cauillari nemo potest. Et Syritij autem sexti post Syluestrum Papæ decreta, vel te ipso definitore vim canonis habere debent. Nam de sentẽtia fratrum, quemadmodum ipse indicat, hoc est, episcoporum, quos octoginta ad synodum coegisse memoratur, ea de re ad Himerium Tarraconensem episcopum scripsit. Et certe non suam, sed ecclesiasticam sanctionem hanc esse memorat. In ea vero epistola, quam ad Africanos e- *Syr. ad Africa. epistcop.* piscopos misit ita scribit: Suademus vt sacerdotes & leuitæ cum vxoribus non coëant, quia in ministerio diuino quotidianis necessitatibus occupantur. Et ibi autẽ protestatur is, non noua præcepta à se imperari, sed ea, quæ per ignauiam desidiamque aliquorum neglecta sunt, obseruari se cupere, quæ

re, quæ apostolica & patrum constitutione sint cõstituta. Quibus ille verbis tuam Orechoui refellit accusationem. Iam verò citat Gratianus in decretis canonem concilij primi Carthaginensis, quod Syluestro, vel certè successore eius Marco sedi Apostolicæ præsidente coactũ est, in hæc verba: Placuit episcopos, p̃sbyteros, diaconos & subdiaconos secundũ priora instituta etiã abstinere ab vxoribus ꝓprijs. Secũdi vero Carthaginẽsis cõcilij sub Syritio pontifice à permultis episcopis celebrati canon secundus ita se habet: Omnibus placet, vt episcopi, presbyteri, & diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab vxoribus se abstineant. Vbi Aurelius episcopus verba faciens, etiam prioris

 conci-

concilij de eadem re statuentis facit mentionem; ita vt de canone illo, quem superius è Gratiano citaui, dubitandum non sit, etiamsi non habeatur is inter cæteros eiusdem cōcilij canones. Imò addit etiam Aurelius, vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus. Vides antiquam hanc fuisse doctrinam & obseruationem ecclesiasticam, ab ipsis vsque Apostolis quasi per manus traditam.

Carth. 5. ca. 3. Quintæ etiam eiusdem loci synodi, in qua fuere 73. episcopi, canō tertius ijsdem fere verbis extat repetitus, quæ dudum è primo citata sunt. Neque pœna prætermissa est. Similes extant canones in Toletana prima decē & nouē episcoporū syn. Hispanica: In Africa-

Col. c. 1. Afr. c. 37 na ducentorū amplius, in quibus fuit

fuit & Augustinus: In Agathensi triginta triū: In Arausicana, Antisiodorensi, atque Turonensi priore Gallicis: In Moguntinensi Germanica, tempore Caroli magni Imperatoris acta. In quibus itidem de continentia & cœlibatu presbyterorum atque diaconorum constitutum est. Et in Agathēsi quidem fit etiam mentio decretorum Syritij & Innocentij pontificum, vt eorum authoritas seruetur: quod cum nostri temporis hæreticis & schismaticis negat Orechouius. Habes igitur de continentia quoque sacris initiatorum non vnius Aegyptij episcopi placitum, sed Petri cathedræ præsidum, Leonis, Innocentij, & Syritij authoritatem, vt ne addam antiquiores, Vrbanum, & Lucium martyrem synchronon

Aga. c. 9. Arausi. c. 22. Ant. c. 21 Turon. c. 1. & 2. Mog. ca. 10.

Cypriani,&Clementem Aposto lorum discipulũ. Habes certum vniuersi occidentis & Africæ consensum. Habes denique canones ecclesiasticos non vnius alicuius infrequentis concilij, quale fuit Gangrense: Sed complurium, & frequẽtium, nec minus antiquorum quorũdam, quàm illud fuit: & quidem non è leuibus Græculis, sed ex ijs populis, qui grauitatis & constantiæ laude semper claruerunt, coadunatorum. Siue autem ponderare, siue numerare voles congregatorum in ijs episcoporum suffragia, non modò adæquabunt, sed superabunt etiã fortasse vel frequentissimum cõcilium Oecumenicum. Hoc autẽ admirabilior, maiorisque ponderis est eorum consensus, quòd ij non modò locis, verumetiam tẽporibus

poribus

poribus disiuncti, idem tamẽ senserunt. Neque verò suppostititij, aut suspecti dũtaxat sunt earum synodorũ canones. Quod facilè comprobat vsus publicus, & mores earum gentium, apud quas eę synodi habitæ sunt, conuenienter illis canonibus iaminde vsque ad nostra perducti tempora. Vis autem tibi demonstrem, in Græcia quoque & oriente olim incorruptiorib. seculis, etiam post Nicænam synodum eandem legem cælibatus viguisse? Ecce tibi testes graues, Eusebium Palestinum, & Epiphanium Cyprium episcopos. Quorum ille in eo libro, quem scripsit præclarum de demonstratione Euangelica, tanq̃ obseruatu dignũ annotat, quod etiam secundũ noni testamenti leges non penitus interdicta est ho

Euse. demonst. euang. l. 1. ca. 9.

minibus

minibus liberorum procreatio. Vnde colligitur, antiquitꝰ à Christianis magis in dubium vocatũ fuisse vsum coniugij, quàm cœlibatum & continentiam, eorum etiam qui implicati essent matrimonio. Confirmat autẽ Eusebius sententiam suam testimonio D. Pauli, sic inquiẽs: Oportere enim ait sermo (diuinus nimirum) episcopum vnius vxoris virum fuisse. Mox addit: Verumtamen eos, ꝗ sacris initiati sunt, & cultui diuino vacant, abstinere sese deinceps par est à cõiugali cõsuetudine. Epiphanius verò disertiùs etiã de sacerdotio & sacerdotibus scribẽs: Reuera .n. inquit, nõ suscipit sancta Dei ꝑdicatio post Christi aduentũ eos, qui à nuptijs mortua ipsorũ vxore secũdis nuptijs cõiuncti sũt, propter excellẽtem sacer-

Epipha. con. hæres. lib. 2. to. 1.

sacerdotij honorẽ atq; dignitatẽ. Et hęc certò sancta Dei ecclesia cũ synceritate obseruat. Sed & adhuc viuentẽ, & liberos gignentẽ vnius vxoris virũ nõ suscipit, sed eũ, qui se ab vna cõtinuit, aut in viduitate vixit diaconũ & presbyterũ, & episcopũ, & hypodiaconũ, maximè vbi synceri sunt canones ecclesiastici. Hem, Igitur ij synceri non sunt, quibus diuersum pręscribitur, vel ꝑmittitur? Imò verò ne canonum quidẽ nomine digni. Prosequitur enim idẽ. At dices mihi, omninò in quibusdã locis adhuc liberos gignere presbyteros, & diaconos, & hypodiaconos. At hoc nõ est iuxta canonẽ, sed iuxta hominũ mẽtem, ꝗ per tẽpus elãguit. Quid hîc dices Orechoui? Abrogabis hisce testibꝰ fidem? At tui sunt, Gręci sũt:

In oriente vixerũt: Euſebius quidem Conſtãtino magno; Epiphanius verò Arcadio & Honorio imperantibus, Nõ modo poſt Nicænum, ſed etiam poſt Conſtantinopolitanum primum conciliũ: quib. temporibus floruit imprimis religio Christiana, abũdauitque cũ pijs doctiſq; viris multis, tum acribus hęreticis, qui hos, ſi falſa ſcripſiſſent, euidentia rei facilè redarguiſſent. Hîc tu, ſcio quo confugies: Nempe ad canonem ſextæ ſynodi: quam, cum fuerit ſuperioribus ferè omnibus poſterior, & Oecumenica, magis valere debere contendes, quàm ſuperiores illas certarum prouinciarum. Neque ego hoc fortaſſis refellere potero. Non tu tamẽ ſtatim triumphare debes, niſi etiam certis documẽtis comprobas,

Can. 13.

bas, canones eos, qui vulgo hoc nomine circunferuntur, illius ſynodi eſſe; & vniuerſę Christi eccleſiæ publico omnium epiſcoporũ conſenſu traditos eſſe. Aut ſi nõ potes, vtrumq; ego improbabo. Primum igitur, nego ſextam ſynodũ vllos omninò canones condidiſſe, fretus indubitato ſeptimę ſynodi, hoc eſt, Nicænæ ſecundę, teſtimonio. Deinde aio: Eos canones, qui vulgò hoc nomine circũferuntur, & vt circumferuntur, ne cuiuſquam quidem alterius legitimæ ſynodi eſſe, ſed vel ſuppoſititios omninò, vel certè corruptos. Idque hoc argumento, quòd damnatur ijs memoria orthodoxi Papæ Honorij longe antè mortui, quaſi aſſertoris Monothelitarum hæreſeos, quam cõſtat ab eo dãnatam eſſe, in colloq. de vera &

Canones ſextæ ſynodi Oecumenic.

Nic. 2. ſy.

falſa relig. ſicut alibi à me & ab alijs quibuſdã ante me oſtẽſum eſt. Poſtremò ſi maximè tibi darem, eos & germanos, & ſextæ ſynodi eſſe, tu mihi vicißim concedas oportet, eum ipſum canonem de ſacerdotum coniugio, neque omnium epiſcoporum cõſenſu conditum, neque vniuerſæ eccleſiæ traditum eſſe. Et orientalibus autem non tam vice canonis eſſe debere, quàm vice diſpenſationis & indulgentiæ, qua languori hominum id permittitur, quo à recto tamen deflectitur. Quis te eò adiget? Illa ipſa ſynodus: imò ille ipſe canon, qui non diſsimulat, Romanæ eccleſiæ pro canone traditum eſſe, vt diaconi vel presbyteri in ſua ordinatione profiteantur, non amplius ſuis

ſuis vxoribus ſeſe coniuncturos eſſe. Et ſuis verò ita permittit vſum coniugij, vt eo tamen ipſis ſuæ cuiuſque vicis tempore, hoc eſt, cum ſacra contrectare debent, interdicat. Vidésne igitur, quantùm tribuere debeas iſti canoni? Nimirum vt is vel germanus non ſit, vel ſi ſit, non canonis & legis, ſed indulgentiæ ac diſpenſationis vim habere debeat: Nec tamẽ tibi aut cuiquam omninò Rom. eccleſiæ ciui adſcriptitio patrocinetur. At è Iuſtiniani imperatoris, qui ſextã ſynodũ prçceſsit, legibus quas nouellas & authenticas vocant, conſtat, licitum fuiſſe eius tempore vſum vxorũ diaconis & preſbyteris. Sit ita ſanè, dum modò memineris, nullam ab eo legem ea de re conditam eſſe, neq; adeò condi

Iuſtiniani leges.

cōdi potuiſſe: Neque facere eum ibi mentionem canonis vllius eccleſiaſtici. Vnde igitur inoleuit, vt licitus eſſet vulgo, ſitque etiamnū apud Græcos & orientales presbyteros ac diaconos vſus coniugij? Vndenam cenſes, niſi ex hominum languore & mollicie? Quæ cum in paucioribus fuiſſet tempore Epiphanij, poſtea langueſcente in dies magis ac magis pietate ac diſciplina eccleſiaſtica, ſerpſit latiùs, & patronos reperit. Neque ego tamē hoc nomine illos damno, quando ne Innocentius quidem tertius, & Stephanus Papæ, ac ne Florentinū quidē conciliū prȩſidente Eugenio Papa, ante centū annos dānauit. Sed ne Græci quidem in eo cōcilio (in quo liberè de nonnullis controuerſijs diſceptatum eſt) aut

De Græcorum ſacerdotū coniugijs quid ſentiendum ſit.

aut vſquā omninò occidentaliū cœlibatum, eiuſque voti exactionem damnarunt: Imò in canone illo notho ſextæ ſynodi, dudum à me producto, à canone profectum eſſe faſsi ſunt, & tantùm nō diſertè, rectiùs hoc eſſe, quod antiquitùs traditū ſeruat Romana eccleſia, quàm illud, quod ipſi tūc ſuis indulgebant, cenſuerūt. Neque diſputo nūc, vtrum magis deceat & expediat, cœlibésne eſſe ſacrorum adminiſtros, an maritos. De quo ſicut ſtatuere noſtrum nō eſt Orechoui, ita ne diſputare quidem huius eſt loci, vel temporis. In cōcilio de eo & rectè ſtatuitur, & ftuctuosè diſputatur. Illud nunc oſtendiſſe mihi ſat eſt: In oriente quidem indulgentiâ, ne dicam mollicie quadā animorum veriùs, quàm præſcripto canonū retentum

quid magis expediat

retentum esse à presbyteris ac diaconis vsum coniugij ante initiationem contracti. In Occidente verò & Africa, & Septentrione, qui nunquam publice ab occidētali & Romana ecclesia magistra sua sese disiunxit, non modò tacito consensu & moribus populorum, verumetiam præsidum sedis Apostolicæ præceptis & sanctionibus, & ecclesiasticis synodorum canonibus interdictum esse.

Canonū authoritas. Nefas est autem, vel teipso iudice, cuiquam priuato, in qua ecclesia Christo nomen dederit, & sacris initiatus sit, eius ecclesiæ canones contemnere, nedum abrogare vel damnare velle: nisi transfuga haberi malit. Porrò si quis est eiusmodi, non solùm cōiugiū, sed etiam ieiunia, vigilias, χαμευνίας & cæteros austeriores orientalium

lium mores & instituta amplectatur censeo, & à nobis segregatus, cum illis tumidis & schismatum non insolentibus Christum diuidat. Aut certè confiteatur necesse est est, se exlegem prorsus viuere, & *1. Cor. 1.*

Nullius addictum iurare in uerba magistri: *Horat.*

Ne Christi quidem ipsius cœlestis doctoris & seruatoris nostri: qui eos, qui Ecclesiam non audierint, abijcit, & pro ethnicis ac publicanis habendos esse præcipit. *Matt. 18.*

At moderatiore inquis pœna cōtenti sunt canones ecclesiastici. Iā igitur videamus, quænam ea sit. *Pœna*

Quoniam autem peccati non vna est ratio, pœnæ quoque rationem, iustitia dictante, diuersam esse oportet. Aliud est enim iustæ vxoris ante initiationem ductæ vsu (lege vel morib. interdicto) post

poſt initiationem non abſtinere: aliud cum cœlebs ad ſacerdotium acceſſeris, poſtea cõtra fas, mores & inſtituta eccleſiaſtica vxorem ducere. Quis igitur hoc diſcrimẽ excogitauit? Lex ipſa, ſiue canon. Vt enim tibi concedamus Orechoui, id quod tu vis, intereſſe inter legem ſiue νόμων & canonem certè tui Græci legem cœlibatûs, canonem appellant; ſi meminiſti eorum, quæ ſuperiùs à nobis in medium adducta ſunt. Igitur tua pace ego quoque hac in parte canonis verbo vtar: aut ſi forte legem dicere maluero, tu nihilominùs canonem exaudies. Quod ergo pœnarum diſcrimen ſtatuunt canones? Diuerſi ſunt, vt vides, occidentales ab orientalibus. Vtroſque igitur excutiamus. Sed priùs orientales. Atq; ij (qui quidem

dem ad nos peruenerunt) cùm presbyteris ac diaconis vſu matrimonij ante initiationem contracti apertè non interdicãt, ne pœnam quidem vllam irrogant vxorum ante initiationem ductarũ conſuetudine vtentibus. Poſt initiationem autem ad nuptias prolapſis irrogant. Sic habet canon Neocæſarienſis Cappadocum ſynodi: Presbyter ſi vxorem duxerit, ab ordine ſuo illum deponi debere. Eadem eſt ſententia ſextę Oecumenicę ſynodi: Cuius authoritas apud eos certè hîc quoque valere debet, q in ſuperiùs citato canone valere eã volũt. Hac autẽ vtraq; antiquior Ancyrana, de diaconis ita ſãxit. Diaconi quicunque, cum ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt dicentes, velle ſe habere vxores, nec

Pœna ſacerdotis qui duxit uxorem.

Neocæſ. ſyn. ca. 1.

Can. 6.

Ancyr. can. 10.

 ſe poſſe

ſe poſſe continere, hi poſtea ſi ad nuptias venerint, maneant in miniſterio, propterea quòd his epiſcopus licentiam dederit. Permittit ea nimirum diaconis duntaxat contrahere matrimonium certo modo atque conditione, nempe, ſi in ordinatione proteſtati ſint. Verùm eadem ſtatim indicat, iam tunc etiam apud orientales populos cœlibatûs votum in ſacris ordinibus ſuſcipiendis receptum & vſitatum fuiſſe: idque ſola etiam taciturnitate obligationem firmam inducere ſolere, ita vt trâſgreſſori eius pœna ſit appoſita. Subdit enim: Quicunque ſanè tacuerunt, & ſuſceperunt manûs impoſitionem, profeſsi continentiam; ſi poſtea ad nuptias venerint, à miniſterio ceſſare debebunt. Habes igitur presby-

Cœlibatus votũ apud Græcos.

presbyteri & diaconi pœnam, ſi maritus fiat: vt ab ordine ſeu miniſterio ſuo amoueatur. Quæ grauior eſt ſanè, quàm multis fortaſſe videtur: quippe quæ delinquentem adminiſtratione ſacrorum arceat, & quadam capitis diminutione de excelſo gradu eccleſiæ ad imum reijciat. Quoniam tamen ea vulgo à noſtri ſimilibus, carni & cupiditatibus ſuis pluſculùm indulgentibus, contemnebatur, Iuſtinianus imperator, pius regni dei adminiſter, & ſacrorum canonum, quẽadmodum ipſe nõ vno loco profitetur, vindex, aliam adiecit lege ſua, non ſine epiſcoporum, vt credere par eſt, cõſilio & iudicio, qua reprimerentur tamen ij, qui illã pro nihilo ducebant. Sic autem lex ea ſe habet: Clericos autem nõ

Auth. de Sanctiſ. col. 9. ſ. cle.

 aliter

aliter ordinari concedimus, nisi literas sciant, & recta fide, ac honesta vita sint, ac neque concubinam, neque naturales habuerint aut habeant liberos, sed qui vel cœlibem vitam agunt, vel vxorem habuerunt, aut habent legitimam, & eam vnam, & primam, neque viduam, neque diuortio separatam à viro, neque alioqui legibus aut sacris interdictam canonibus. Expende quæso te Orecho ui diligenter verba legis huius. Sed non hæc tamen adhuc propriè instituto nostro seruiunt: verum illa, quę paucis interiectis subiecta sunt: Enimuerò, inquit, si is qui ordinandus est diaconus, vxorem, quemadmodum superiùs dictum est, sibi iunctam non habeat, non aliter ordinator, nisi priùs ab eo, qui ipsum ordinat,

inter-

interrogatus profiteatur, posse se post ordinationem vel sine legitima vxore castè viuere. Nequeũte eo qui ordinat ordinatiõis tẽpore diacono pmittere, vt post ordinationem vxorem ducat. Sin verò hoc fiat, episcopus qui id permisit, episcopatu eijcitor. Quod si post ordinationem presbyter aut diaconus, aut subdiaconus vxorem duxerit, eijcitor è clero. Eho. Etiámne is, cui permisit episcopus? Imò & ipse ille, qui permisit, episcopatu eijcitor. Quid aliud expectas? Et curiæ, inquit, ciuitatis, in qua clericus erat, cum bonis suis traditor. Audis pœnæ seueritatem? Audis & hîc professionem continentiæ ac cœlibatûs, à diaconis quoque & hypodiaconis, qui cœlibes adhunc ordinem perueniunt, exigendam? Quam

 & Ancy-

& Ancyrana ſynodus longè antiquior ipſis præſcribit, & vel tacendo rectè fieri indicat: Cuius quidē pars illa canonis, quæ proteſtatis diaconis permittit coniugium, hîc inducitur & abrogatur. Et quidē non ab alia ſynodo aut Romano Petro, quemadmodum tu dicere ſoles, ſummam ligandi & ſoluendi in eccleſia Chriſti poteſtatem habente, ſed à profano Imperatore. Animaduertis ne etiam non modò Romanos pontifices, nec latinam modò eccleſiam, ſed Græcam quoque & orientalem, & quidem non iſtam recentiorem, ſed vetuſtiorem illam & puriorem, propter legem cœlibatûs diaconis, ac multò magis etiam presbyteris impoſitam, doctrinæ dæmoniorum ream agi, ne dicam traduci ab iſtis nouato-

ribus,

ribus, qui nihil niſi quod ipſi faciunt & ſentiunt, rectum eſſe putant? Nec mihi dicas: Occidentalibus hanc legem latam eſſe. Conſtantinopoli ſcripta eſt: Ad magiſtrum imperialium officiorum, qui in occidente nullus tunc erat, ſcripta: Et eo tempore condita, quo occidentales & Africani presbyteri ac diaconi non modò moribus, & non ſcripta traditione, verum etiam ex præſcripto canonum publicè iam cœlibatûs profeſsionem amplexi erant, ita vt eis cum vxoribus ante initiationem ductis conſuêſſe nefas eſſet, quod lex hæc non prohibet: Quāquam nec indulget tamen. Quin extat alia lex eiuſdem Imperatoris, quæ profeſsionem illam cœlibatûs & continentiæ ſi non exigit, certè approbat, velut honeſta

 ti&

ti & pietati conſentaneam. Sic au tem ea dictat: Nihil enim ſic in ſa cris ordinibus diligimus, quam cum caſtitate viuentes, aut cum vxoribus non cohibitantes, aut vnius vxoris virum, qui ſiue fuerit, ſiue adhuc ſit, & ipſe caſtitatẽ eligat, ſecundum diuinas regulas primum principiũ & manifeſtũ fundamentum reſiduæ virtutis conſtitutam. Cernis quàm diſſen tiat hic Imperator max. ab illis, qui caſtitatis electionem, hoc eſt, cœlibatus profeſsionem atque le gem impudenter damnant, & ſan ctos pontifices diuinarum regularum & virtutis magiſtros, è ganea petitis maledictis inſectãtur? Nec eſt, quod quiſpiam hic verbum caſtitatis ad pudicitiam con iugalem detorquere velit. Ea nan que eligi ab ijs, qui matrimonio

Authen. Quomodo oportet. Col. 6. § Hæc autem.

iam

iam iũcti ſunt, non poteſt, ſeruari vero ab omnibus Chriſtianis, extra ſacros quoque ordines, debet. Cernis ne etiam, quomodo intel ligẽdum ſit illud Paulinũ: Vnius vxoris virum? Quod Euſebius quoque Cæſarienſis multo ante eodem modo ſuperius citato loco interpretatus eſt. Scribit autẽ hæc Iuſtinianus ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopolitanum. Nec ſanè ſcriberet, niſi & il lum & alios orientis epiſcopos idem ſentire exiſtimaret. Conſtat enim è legibus, edictis, & epiſtolis eius, quem honorem is habuerit cùm epiſcopis omnibus, tum Ro manis pontificibus, eorumq́ue præceptis: nec vſquam de rebus eccleſiaſticis & ad religionem per tinentibus leges nouas condit, ſed ab ijs conditas authoritate

Demonſ. euang. l. 1

 ſua

ſua pœniſque ciuilibus ſancit. Sed nos vnde digreſsi ſumus rede amus:&pœnarũ,q̃bus cœlibatus
Pœna ſa- presbyterorũac diaconorũ,atq;e-
cerd. utẽ- tiã hypodiaconorũ occidentalib.
tis matri- item canonibus ſancitur, diſcri-
monio an- mina recognoſcamus. Ac eũ qui-
te initiati, dem,qui à coniugali vxoris ante
onẽ inito. ſuſceptionem ſacrorum ordinũ ductæ conſuetudine ſe non abſti
Carth. 5. net,Carthagin. prima &quinta,
ca.3. Arauſicana item,& Africana, &
Arauſ. c. 23. Elibertana ſynodi ab officio ec-
Afr. c.37 cleſiaſtico prorſus remouent. Eo
lib.33. dem pertinet Syritij Papæ decre-
Syrit. ad Himer. tum,quod Innocentius quoque
Innoc. ad ſecutus eſt. Vtrunque autem Aga
Exup. thenſis ſynodi canon diſertis ver
Agath. c. bis comprobauit. Romana vero
19. præſidente Syluestro acta,his ve-
Rom. ca. tuſtior,etiam repetendi officij ec
19. cleſiaſtici ſpẽ in omne deinceps tempus

tempus præcidit, ſi præuaricator canonis ad decem annos prius ho nore & functione ſua priuatus, nihilo magis vxoris conſuetudine ſeſe abſtinuerit. Hic eſt enim germanus ſenſus illius canonis. Nonnulli canones ad reprimendam clericorum licentiam,excõmunicationem quoque adhibebant,teſtimonio Turonenſis prioris ſynodi,quę paulo poſt Chal cedonenſem Oecumenicam acta
eſt. Eius autem hæc ſunt verba: Turo ſy.
Et licet à patribus noſtris è com- ca.2.
miſſa authoritate id fuerit conſtitutum, vt quicunque ſacerdos vel leuita filiorum procreationi operam dare fuiſſet conuictus, à communione dominica abſtineret. Sed hanc pœnam concilium illud mitigauit. A quibuſnam au tem patribus, & vbi illa pœna in cleri-

clericum, poſt initiationem coniugalem thorum repetẽtem, fuerit conſtituta, non reperio. Niſi forte de excommunicatione accipiendum eſt id, quod dicitur in canone Romanæ ſynodi: Condẽnetur in perpetuum: vel quod cũ octoginta epiſcopis ſanxit Syritius, è ſecunda D. Clementis epiſtola mutuatus: Eos nunquam poſſe veneranda attrectare myſteria. Vel certe hoc illud eſt, quod ſcribit idem Syritius in epiſtola ad Africanos epiſcopos, inquiẽs. Si quis ſanè inflatus mente carnis ſuæ ab hac canonis ratione voluerit euagari, ſciat ſe & à noſtra cõmunione ſecluſum, & gehennæ pœnas habiturum. Siue autem has conſtitutiones Turonenſis illa ſynodus denotat, ſiue alias, aliquas certe fuiſſe, & quidem à pa-

tribus,

Rom. ſyn.

Syrit. ad Him.

tribus, commiſſa (hoc eſt, diuinitus conceſſa) authoritate præditis conditas, dubium eſſe non debet. Quas an ſoli octo vel decem epiſcopi (Neque enim plures in ſynodo illa Turonenſi fuiſſe memorantur) inducere & abrogare potuerint, nõ diſputo, Toletana ſanè octaua ſynodus quinquaginta quinq; epiſcoporũ, & cõplurium Abbatum & ſacerdotum, Turonenſi illa aliquantò poſterior, priſtinam vetuſtiorum canonum ſeueritatem non modò reuocauit, ſed auxit etiã. Sic enim ea ſanxit: Quicunque (etiamſi inuiti) ad eccleſiaſticarum officia dignitatum aſſumuntur, deſerere, quam ſemel receperunt gratiam donumque nequaquam audeant. Si verò ad coniugia moreſque ſeculi redire attentauerint, omni eccleſia-

ſtica

Tolet. 8. ca. 7.

ſtica dignitate priuentur, & apoſtatæ habeantur, & in monaſterio donec vixerint ſub pœnitentia retrudantur. Animaduertis quibus pœnis hæc ſynodus abdicati coniugij repetitorem clericum feriat. Quæ certè valere debet, q̃ & frequens fuit, & recentior. Sed valeat ſanè ille potius mitior canon Turonenſis: quando de ijs quoque iudicium nobis ſumim⁹, & canones eccleſiaſticos pro Lesbijs regulis habemus. Certè non in hoc cardine, Orechoui, tua cauſa verſatur. Ac ne in illo quidem, an ſacris initiato ſecundum canones illos quos recitaui dudum amoto, ſiue vltro abſtinenti ſe à ſacrorum adminiſtratione & officio eccleſiaſtico, liceat perperam ſemel repetitum vſum coniugij ante initiationem contracti deinceps

Presbyter abſtinẽs à miniſterio an rectè retineat uſum matrimonij.

inceps

deinceps retinere. Quod quidem euincere poſſum, non licere, authoritate Romanæ illius ſynodi, quã paulò ante citaui. Quæ cum initio decennij pœna continentiam ſanxiſſet, mox perpetuã quoque adiecit ei, qui contra egiſſet, hoc eſt, qui ſe poſt priorem illam pœnam irrogatam ab vxore non abſtinuiſſet. Eodemque pertinet opinor Innocentij Papæ cõſtitutio, ab Agathenſi, quod ſuperiùs indicaui, ſynodo approbata. Qui ſcribens ad Exuperium Toloſanum epiſcopum, cum indulgentiùs agi vellet cum ijs diaconis, ad quos Syritij præceptum non ꝓbaretur perueniſſe: His, inquit, ignorantibus venia remittitur, ita vt de cætero incipiant penitus abſtinere. Iam Syritij decretum in epiſtola ad Africanos epi-

Ro. ſyn ca. 19.

ſcopos

ſcopos tantum non diſertis verbis hoc ipſum infert, quãdo tranſgreſſorem eccleſiaſtica communione arcet. Cuius quidem pœnę ea vis eſt, vt non niſi correcto, aut ſublato eo peccato, propter quod infligitur, relaxetur. Itemque Toletani octaui concilij canon, quẽ dudum citaui, quando eum pro Apoſtata habẽdum eſſe decernit, & in monaſterium retrudit. Ad hæc habet hoc voti & promiſsi ſolennis natura, vt etiamſi temeratum ſit, nihilo minùs tamẽ exigatur, donec præſtetur. Verùm de voto ſtatim luculentiùs. Nec de eo, qui vxoris ante initiationẽ ductæ conſuetudinem poſt initiationem repetit, plura nunc addo. Eius qui, cum cœlebs ſacris initiatus eſſet, poſtea duxit vxorem pœnas perſequamur. Qui propriè

Tol. 8. ſyno. c. 7.

priè eſt ſtatus controuerſiæ noſtræ. Quid igitur hîc dictant occidentales canones? Nimirum aut pari, aut etiã grauiore pœna hoc ſancire debent, quàm ne quis relictum legitimæ vxoris cubile repetat. Quid ita? Quoniam initi ante initiationem, coniugij vſum retinere ſacris initiato licuit aliquando, & licet etiam nunc alicubi: poſt initiationem verò vxorẽ ducere neque nunc vſq; licet, niſi fortè apud exleges hęreticos neque vnq; nec eſt legitimũ matrimoniũ, quod ab eo, qui ſacris initiatus eſt, contrahitur: Sicut ne inter agnatos quidem atque cognatos in certis gradibus, quamuis omnia interueniant, quę in legitimo matrimonio requiruntur. Quamobrem? Quia vtrumque ex æquo vetitum eſt, ſi non diuina lege certe

Presbyt. qui duxit uxorẽ pœna in Occid. Ecbleſ.

 cano-

canone ecclesiastico, cui aduersari tu ipse Orechoui, facinus immanissimum esse statuis: Huc accedit promissum seu votum solenne cœlibatûs, quo cum alij, tum qui sacris initiãtur, ipsi sibi matrimonij contrahendi potestatem in posterum pœnitus pręcidunt. Et profectò, si iustitiæ fundamentum est, pactorum conuentorum fides, vt est certè, magis ea præstãda est Deo, quàm hominibus, vel Deo & vicarijs eius, magistratibus pariter magis, quàm priuatis hominibus. Vsqueadeò verò sancta est hæc votorum & promissorum fides, nõ modò humanis, verùm etiam diuinis & Euangelicis legibus, vt nec stultitia temeritasque voti in Iepte & Saule rege excusationem habuerit apud deũ, quo minùs id ratum esset, nec valeat vnquam,

Cœlibat. uotum.

Iustitiæ fundamẽtum.

vnquã, quicquid cõtra eã, quãuis alioqui ritè fit, nisi pstari ea ab homine vel omninò, vel absq; graui peccato nequeat. Vis hoc videre? Matrimonij fides hoĩni datur, nõ Deo, teste tamen Deo. Ea verò tã facta est Christo magistro ac Deo nostro, vt is neget legitimum esse posse matrimoniũ inter eos, quorũ alter alteráue viuẽtẽ aliã aliũue cõiugẽ priore matrimonio iũctũ habeat, etiãsi legitimũ diuortiũ interuenerit. Quin adulteriũ is vocat eiusmodi coniugiũ. Neq; hoc ego illis eius verbis adstruã, quę dixit mulieri Samaritanę: Bene dixisti, Quia nõ habeo virum. Quinque enim viros habuisti, & nunc quẽ habes, non est vir tuus. Nolo enim coniecturis sententiã meam cõfirmare. Apertiora proferam, & minùs obnoxia cauillationi.

Io4.4.

Mat. 19. Mar. 10. tioni. Igitur pharisęis percontantibus, an liceat cuiquam dimittere vxorem ſuam quacunque ex cauſa, & Moſaicæ legis authoritate nitentibus, fieri id rectè poſſe dato libello repudij, ſic definit Chriſtus: Dico autem vobis, quia quicũque dimiſerit vxorem ſuã, niſi ob fornicationem (quam tamen exceptionem Marcus non appoſuit) & aliam duxerit, mœchatur: Et qui dimiſſam duxerit, mœchatur. Quid apertiùs dicere potuit, ad oſtendendum, nullum eſſe matrimonium, quod poſt datam alij priùs fidem cum alia cõtrahitur? Quod itidem de muliere poſt diuortium cum priori marito alij nubente accipiẽdum eſt. Pluſne autem ponderis hîc habebit homini, quàm Deo data fides? 1. Tim. 5. Ita fortaſſe videtur alicui. At Paulo non

lo non videtur, Qui viduas quoque, ſi poſt datam Deo continentiæ fidem nubere velint, damnationem habere affirmat. Vbi eſt Hebr. 13. ergo tuum illud Paule? Honorabile coniugium in omnibus, & thorus immaculatus. Rectè, ſanctè, & ſpiritu ſancto dictante dictum, ſeu ſcriptum eſt, ſi rectè intelligatur. An non contraria ſunt autem hæc? Minimè gentium. Quia & honorabile coniugium in omnibus, quibus eo interdictũ non eſt, aut qui ſibi ipſi non interdixerunt: & habet damnationem velle nubere in ijs, qui ſe caſtrauerunt propter regnum Dei, Mat. 19. & qui ſecundum doctrinã Pauli 1. Cor. 7. ſtatuerunt in corde ſuo firmi, nõ habentes neceſsitatem, poteſtatẽ autem habentes ſuæ voluntatis, & hoc iudicarunt in corde ſuo,

ſeruare virginem ſuam : hoc eſt qui voto cœlibatûs & continentię ſeſe obſtrinxerũt. Quodquidẽ ſi præſtari vel omninò, velabſq; peccato non poſſet neq; Pauli & Chriſti recitatis modò verbis cõmẽdaretur, neq; eorundẽ, & innumerabiliũ aliorũ vtriuſque ſexûs piorum hominum exemplis ex omni memoria petitis comprobaretur. Qua de re cum antehac fuſiùs ad te ſcripſerim, nunc plura non addo. Quare autẽ id quod alijs honorabile eſt, his (nẽpe voti reis) damnabile eſt? Reſpondet tibi ipſe Paulus de viduis: Quia primam fidem irritam fecerunt. Quam obſecro? Eámne, quã prioribus maritis dederunt? At ij ſi viuerent, illæ viduæ non eſſent: his verò mortuis, liberatæ ſunt iudicio Pauli, eſt ſoluti à lege & fide eorum,

eorum, quamuis tu tibi in hoc à doctore gentium diſſentire permittas. Quam igitur aliam, niſi quam Deo dederunt, cœlibes ſe deinceps victuras eſſe in miniſterio eccleſiaſtico. Irritam igitur facit & violat fidem Deo datã, ſi qua vidua poſt votum cœlibatus nuncupatum, matrimonium vult contrahere: & habet damnationem. Quantò magis ſi contrahat? Neque hic alia ratio eſt eorũ earúmue, qui quæue nunquam fuêre coniuges, alia viduæ, quam Paulus non ſecus ac eam, quæ nũquam priùs virum habuit, liberã eſſe aſſerit, & permittit ei nubere cui vult, tantum in domino. Nec alia item ratio eſt voti in vidua, alia in eo, qui ante omne matrimonium ſtatuit & iudicauit in corde ſuo, ſecundum doctrinam Pau- Rom. 7.

 li, ſer-

li,seruare virginem suam, & castrauit sese propter regnum cœlorum,sicut Christus ipse verbo &exemplo suo docuit.Erit ne autem id iustummatrimoniũ,quod contra fidem Deo datam contrahitur,cum non sit illud, quod cõtra fidem alteri viro vel mulieri prius datam contrahitur,& ęquè ac illud habet damnationẽ? Aut non erit hoc adulterium,cum illud fit,& eo nomine à Christo appelletur? Quod si est, nunquam profecto vsus eius licitus esse incipiet,neque desinet esse damnabile,quod fuit ab initio. Quod si fur & prædo suum nunquam faciunt id,quicquid alienum inuito domino contrectant, vbi ius tantum ciuile, & societas humana non etiam fides cuiquam data violatur: quanto magis maritus aut

aut vxor nunquam esse incipiet, qui quæue contra datam prius siue alteri homini,siue Deo fidẽ, quamuis specioso matrimonij titulo cuipiam sese adiunxit? Imò ipsa perseuerantia siue pertinacia accumulabit vtrique, nempe sic ducenti & nubenti,damnationẽ. Meæne igitur hæ sunt ratiocinationes?Non:verum habeo huius sententiæ authores grauissimos sãctiss.nõ dico iuriscõsultos,verũ theologes Latinos & Græcos:Ipsa adeò lumina ecclesiæ Dei,Ambrosium inquam, Hieronymũ, Photium,Chrysostomum, Basilium, & Cyprianum. Quorum Ambrosius,Photius, & Cyprianus adulterium vocant istiusmodi coniugium, quod voto continentię obligatus contrahit:Chrysostomus & Augustinus etiam peius

Matrim. post uotum continentiæ quale sit.

Ambr ad uir.lapს. cap.5.

Pho.in epis.ad Corin.

Cyp. l.1.ca.11.

Chrys.ad Theod. mon.epi. 6.

Basil. de peius adulterio: Basilius stuprũ,
uera. uir. adulterium, sacrilegium: Hiero-
Hier. ad- nymus vero incestum. At enim
uers. Io- omnes hi, præclari quidem docto
uin. lib. 1. res, & episcopi ferè, sed homines
Au. de bo tamen fuere. Fateor: Sed eorũcõ
no uidu. sentiẽs vox, vox est ecclesię catho
ca. 15. licæ, quæ est columna & firmamentum veritatis: Eorumq́ue authoritate vsa sunt nonnunquam contra aduersarios & hæreticos etiam Oecumenica concilia. Aut tu ostendas oportet, vbi hæc eorum sententia ab vllo legitimo concilio & ab ecclesia catholica retractata vel reprehensa sit. Quod si ostendere non potes, erit in cõfesso, hunc esse sensum ecclesiæ
Carth. 4 catholicæ. Quem comprobat etiã
ca. 104. Carthaginensis quarta 214. episcoporum synodus: Cui Augustinus quoque interfuit, à sexto Oecumenico cõcilio cõfirmata. Sed tu expectas etiã canonẽ, quo diserte istiusmodi adulterina & incesta cõiugia dirimãtur. Atq; hic debet esse huius cõmentatiõis meæ Colophõ. Quẽnam igitur ea de re canonẽ ꝓfero? Si nullũ profero scriptũ, certe vim canonis apud nos obtinere debet recept⁹ vniuersæ ecclesiæ mos, quo nũquã eiusmodi cõiugia, seu verius cõtubernia Basili. de
rata fuere. Basilius quidẽ & Augu spir. s. ad
stinus non modo canonibus, ve- Amph.
rumetiam legi diuinæ eiusmodi cap. 27.
mores pares faciunt. Nec tu, si sa- Augu. ad Casul.
tis mihi perspectus est animi tui sensus, abnuis. Sed proferamus & scriptũ canonẽ. Cuiusnã igitur? Rom. Põtificis, hoc est, cathedræ Petri. Hîc se nõ continebit quidã, q̃n vel cachinnũ sustollat ilico vel adducto supercilio exclamet, vt solet,

ſolet, Apage tyrannicas iſtas Romanæ Sodomæ leges: Eaſque ad lenones relegabit. Quid is igitur hîc, Iniquitatémne reprehendit? an authoritatem aſpernatur? Vtrumque iniuſtè, ne dicam impiè. Nam & lex conſentanea eſt non modo moribus & ſenſui totius eccleſię, ſed etiam verbo Dei, ſicut iam intelligere potuiſti, & authoritas cathedræ Petri ab ipſo Chriſto fundata, ſemper ſacroſancta fuit apud oẽs Chriſtianos
Rom. põtific. authoritas. populos. Ita eſt, inquit ille: Sed in regendis modo ſecundum canones conciliorum populis, non etiam in condendis canonibus. Os
Chryſ. in Matthæ. enim Apoſtolorum fuit Petrus. Iſtud quoq; quod datur, accipio. Multi enim id quoq; negant hoc tempore. Sed Chryſoſtomus idẽ non modo os, verumetiam verticem

cem Apoſtolorum, multi alij graues & ſancti doctores Græci & latini fundamentum & caput eccleſię Petrum & ſucceſſores eius Romanos Pontifices appellant, & ad eos de difficilimis quibuſq; in religione noſtra controuerſijs iam inde ab initio naſcentis eccleſiæ cùm vltro, tum ex præſcripto cõciliorum & canonum retulerũt, & referendum eſſe cenſuerunt, non ignari quid ſibi vellent illa Chriſti verba, Paſce oues meas: &, paſce agnos meos. Et illa item: *Ioa. 21.*
Ego pro te rogaui, vt non deficiat *Luc. 22*
fides tua: Et quam vim haberet *Matt. 16*
petra, claues regni cœlorum, & poteſtas ligandi atque ſoluendi ſingulari prærogatiua Petro collata. Sed nolo nũc eſſe prolixior in recenſendis eorum hac de re ſententijs. Extant quatuor dialogi ver-

givernacula lingua noſtra contra hæreticos noſtri temporis ante aliquot annos à me conſcripti, & ſuppreſſo nomine editi. E quorũ tertio & quarto petas licebit, nõ modo quid priuati quique græci iuxta ac latini vnquam de cathedræ Petri authoritate ſenſerint, verumetiam quid ſynodi cũ prouinciales, tum Oecumenicæ, imò & hæreticorum ab ipſa ſe ſegregãtium conciliabula. Vnius atque alterius ſynodi Oecumenicæ placita hîc repetam, vnde tibi planũ fiat, ipſarum quoque ſynodorũ vel iudicio, vel teſtimonio, leges eccleſiæ præſcribendi authorita-
Chalc.cõ acti.3.
tem eſſe penes præſides cathedræ Petri. Igitur Chalcedonenſis ſynodus vna de primis quatuor omnium frequentiſsima, nempe ſexcentorũ triginta epiſcoporũ, ex- præſcri-

præſcripto Leonis Papæ & legatorum eius Dioſcorum Alexandrinum Patriarcham è conſeſſu ſuo eiecit; deinde damnauit etiã. His autem verbis in damnatione eius vſi eſſe feruntur legati Pontificij: Vnde ſanctiſsimus Archiepiſcopus magnæ Romæ Leo per nos & ꝑ præſentẽ ſanctã ſynodũ vnà cum ter beatiſsimo & omni laude digno Petro Apoſtolo, qui eſt petra & Crepido catholicæ eccleſiæ, & qui eſt rectæ fidei fundamentum, nudauit eum tam epiſcopatus dignitate, quàm etiam ab omni ſacerdotali alienauit miniſterio. Hæc illi tunc approbante vniuerſa ſynodo pronunciarũt, cum adeſſent complures epiſcopi, Dioſcori illius factione implicati. Vide quantum tribuant Romani pontificis iudicio. Porrò de fidei

fidei controuersia, quæ tunc authore Eutychete excitata erat, sine vlla disceptatione in eiusdem Papæ sententiam, prælecta eius epistola , synodus illa discessit. Cumque ad extremum imperatores alloqueretur , inter alia in hęc verba prorupisse legitur: Sed ô vos Christo amabiles, & imperio, superno nutu vobis cõcesso, dignissimi, compensatis ei fidem, qui beneficia tanta concessit, studioque circa purissimam confessionem, præstantiam vestræ deuotionis ostenditis, malignorũ quidem molimina refrenantes, omnibus verò pię confessionis declarantes in vnitate concordiam, ac velut signaculum sacræ doctrinæ, concilij huius à vobis congregati prædicationem, Petri sedes authoritate roborantes. Vides hic,

Idẽcõcil. in prosphonetico.

hic, Petri sedis authoritate canones atque decreta huius concilij roborari? Sexta etiam synodus Oecumenica, cuius tu canones vel suppositititios (quanquam nescio an omnes) libenter amplecteris, illã Leonis epistolã, titulũ siue regulã (quod idem est cũ canone) rectæ fidei appellauit. Quæ ipsa quoque regulam fidei ab Agathone præscriptam secuta est, quod è prosphonetico eius ad Constantinum Augustum sermone liquet. Mitto enim ipsius Agathonis ad eũdem Imperatorem epistolam, vbi ostendit, legatos se misisse ad id concilium, qui desyderio ipsius Imperatoris satisfaciant, Inquantum, inquit, eis duntaxat iniũctum est, vt nihil profecto præsumant augere, minuere, vel mutare, sed traditionem huius Apo-

Sexta sy. in prosphon.

ſtolicæ ſedis, vt à prædeceſſoribus Apoſtolicis pontificibus inſtituta eſt, ſynceriter enarrare. Mitto recenſere vetuſtum illum de tempore celebrandi paſcha, & alios complures canones à Romanis ſiue ſummis pontificibus conditos, & ab vniuerſa Chriſti eccleſia quamuis reluctantibus nonnunquam refractarijs nonnullis reuerenter ſuſceptos. Omnia hęc & alia item plura ad eandem rem pertinentia in ijs, quos dixi, colloquijs reperies. Vnde luce meridiana clarius, ni fallor, cognoſces, fuiſſe ſemper penes cathedram Petri authoritatem non modo condendi canones eccleſiaſticos, verumetiam de difficilibus & cõtrouerſis dogmatibus defenien- di: eique cum priuatos quoſque, tum ipſos etiam Chriſtianorum populo-

populorum moderatores, reges, imperatores, & epiſcopos, atque ipſa adeò concilia eccleſiamque Chriſti vniuerſam libenter obtemperaſſe: Nec fuiſſe ſubtiliter, ne dicam ridiculè, diſceptatum de decretis vllius põtificis, vt Paulúsne, verbi gratia, vel Bonifacius an vt pontifex decreuiſſet, ſi modo de cathedra, hoc eſt, authoritate põtificia de re ad religionẽ & regimẽ eccleſiæ Dei ꝑtinente pronũciaſſet. Neq; enim hoc ita diſtinxit Chriſtus: ſed vniuerſe dixit Petro: Quicquid ſolueris: & quicquid ligaueris. Neque diſtinxit inter bonos & malos præſides ęccleſię ſuę, cũ ꝓciperet: Quicqd dixerint vobis facite. Imò quoniã ꝓuidebat i̅, ꝓbos quoq; & peſtilẽtes in cathedra ſeſſuros eſſe, diſertè adiecit: Secundum opera vero eo-

 rum

rum nolite facere. Absit enim, vt existimemus Orechoui, cuiuspiam hominis sanctimoniæ vel sapientiæ, vel cuiusque modi excellentiæ hanc prærogatiuam datã esse, vt quicqd dixerit, faciamus, ac non cathedræ ipsi, quam æquè per bonos ac malos, doctos ac indoctos regit Deus: Sicut in veteri quoque testamento non minus per Annam & Caipham, quã per Oniam & Phineam rexit: nec minus eorum, quos reprehendebat subinde ac damnabat iudicio in discernenda lepra Christus tribuit, quàm priscorum illorum & sanctorum pontificum tribuisset: Nec minus Iudæ Iscariotæ, quàm Ioannis vel Iacobi functionem apostolicam ratam habuit. Apostolo igitur & Põtifici Christi ac dei legato & vicario, credendum

dũ & parendũ est, siue is Ioãnes, siue Iudas, siue Onias, siue Caiphas, siue Linus siue Paul. quartus (quẽ tu nimis acerbe insectaris) fuerit. Hoc est, cathedrę Moysi vel Petri, nõ sedentibus super eã hominib. Alioqui execrabiles & maledicti erimus secundum censuram diui Hier. 17. nam, confidentes in homine, & ponentes carnem brachium nostrum. Quid igitur Petri cathedra de ijs, qui cum cœlibes sacris initiati essent, postea matrimonium contrahunt, statuit? Extat decretum Alexandri tertij huius nominis Papæ ante quingentos annos scriptum in hæc verba: Si qui clericorum infra subdiaconatum acceperint vxores, ipsos ad relinquenda beneficia ecclesiastica, & retinendas vxores districtione ecclesiastica compellatis. Sed si in

ſi in ſubdiaconatu &alijs ſuperioribus ordinibus vxores accepiſſe noſcuntur, eos vxores dimittere, & pœnitentiam agere de commiſſo per ſuſpenſionis & excommunicationis ſententiam compellere procuretis. Extat etiã hoc vetuſtius Calixti Papæ in hęc verba: Presbyteris, diaconis, ſubdiaconis, & monachis concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere penitus interdicimus. Contracta quoque matrimonia ab huiuſmodi perſonis diſiungi, & perſonas ad pœnitentiã redigi debere, iuxta ſacrorũ canonũ definitionẽ iudicamus. Vides hîc Orechoui aperte dirimi iſtiuſmodi, iá nõ dico, qualia clericorũ & monachorum cõiugia, & ipſos inſuper redigi ad pœnitentiam |, idque non tam decreto pontificio, quam

quàm iuxta ſacrorum canonum definitionem, teſte hoc pontfice: Cui, oris eccleſiæ vice fungenti, vel teipſo iudice, maior in hac parte fides haberi debet, quàm ſi erutus alicunde canon à nobis proferretur. Poſſet enim is eſſe ſuppoſititius, quemadmodum de ſextæ ſynodi canonibus ſuperius demonſtratum eſt. Vis etiam vtroque hoc pontifice poſterioris Clementis quinti, non iam decretum, ſed canonem, (quod tu ipſe fateare neceſſe eſt) in concilio Viennenſi editum? Accipe. Sic is dictat: Eos qui diuino timore poſtpoſito in ſuarum periculum animarum ſcienter in gradibus cõſanguinitatis vel affinitatis, conſtitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non

 verentur,

verentur, Nec non religiosos & moniales, ac clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes metu pœnæ refrenare ab huiusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subiacere: Præcipientes ecclesiasticarum prælatis, vt illos, quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publice tamdiu nuncient, seu à suis subditis faciant nunciari, donec suum humiliter recognoscentes errorem, separentur abinuicem, & absolutionis obtinere beneficium mereantur. En tibi canonem. Vbi obserua, non esse opus in tali casu episcopi cuiusquam decreto & excommunicatione, sed ipso facto tales esse excommunicatos,

non ipsos modo sacrorum ministros voto continentiæ obligatos, verumetiam coniuges eorum. Episcopis autem præcipi, non vt eos excommunicent, sed tantum vt ipso facto, quemadmodum loquuntur iureconsulti, & authoritate canonis excommunicatos publice nuncient, ita vt absoluendi quoque potestas vel nulla prorsus eis relicta sit, vel certe non nisi post pœnitentiam & separationem. Nec dissimilis est Triburiensis concilij canon 23, in Gelasij Papæ, qui longe ante decesserat, sententiam cõditus, de eo, qui sacro velamine consecratam in coniugium duxerit, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaq; miscuerit. His enim verbis & Gelasius, & canon ille vtitur. Quid

Trib. sy. ca. 23.

autem,vt Toletana octaua de istiusmodi incestis coniugijs statuat expectas? Quæ tam seuera est in eos,qui legitimè prius contracta, post initiationem repetunt, quẽadmodum recitaui superius.Iam
Turo. 2. ca.11. vero Turonensis quoque secundæ synodi ante mille annos cælebratæ canon de monacho sic statuit,vt,Si is vxorem duxerit, excommunicetur, & ab vxoris male sociatæ consortio etiam iudicis auxilio separetur. Apponitur ibi & iudici, hoc est magistratui ciuili,si remisior in eo sit, & receptatori atque patrono eiusmodi monachi, & ipsi monacho, si
Carth. 4 ca. 104. pertinax fuerit, pœna.Carthaginensis autem quarta, cuius iam prius feci mentionem, etiam viduam,quæ post votum nupserit, à communione Christianorum prorsus

prorsus remouet,ita vt ne ad cõuiuium quidem admittatur. Et quidem etiamsi per vim rapta, postea tamen volens in eo coniugio permanserit. Sed quid ego in producendis prouincialium Synodorum constitutionibus, põtificúmue decretis immoror? quando Oecumenici concilij canonem habeo,quem tu Orechoui cauillari aut recusare nequaquam poteris. At cuius concilij? Recẽtioris fortasse alicuius, quale fuit septimum & octauum?aut vetustioris quidem, sed infrequẽtis, quale Constantinopolitanũ primum 150. episcoporum? Minimè gentium. Quanquam ne hæc quidem cur quisquam asper netur causa est, siquidem legitimè sunt coacta,& peracta: Sed tamen ne quid loci tergiuersationi relin-

relinquatur, Eſt id vnum de primis quatuor: quæ magni nominis & ſanctimoniæ Theologi pari propemodum cum quatuor Euangelijs dignatione proſequũtur: Chalcedonenſe inquam, & antiquitate venerabile, & ſexcentorum triginta patrum conuentu percelebre, & grauitate actionum atque decretorum irrefragabile. Quid igitur id ſanxit de
Chlaced. concil. can. 16.
iſtiuſmodi nefarijs coniugijs? Extat canon eius ſextusdecimus his verbis perſcriptus: Si qua virgo ſe dedicauerit Deo, ſimiliter & monachus, non licere eis iungi nuptijs, Si vero inuenti fuerint hoc facientes, maneant excommunicati. Vidén vnde hauſta ſint ea, quæ dudum recitaui, Synodorũ & pontificum recentiorum decreta? Quamuis hic sacrarum tantum

tantum virginum & monachorũ fiat mentio, quemadmodum in Carthaginenſi quarta ſynodo ſolarũ viduarũ, nõ minus tamẽ hoc canone tenentur, quicunq; perpetuæ continentiæ votum nuncuparũt, ſacerdotes. Eadem enim eſt ratio voti in Monacho, virgine, & vidua, quæ in ſacerdote, Diacono, & Hypodiacono, ne dicam maior in his, quàm in illis, quibus priuata modo religione nõ publicę populorũ vtilitatis, ac ſalutis & ſacrorũ atque ſacramentorum reuerenter adminiſtrandorum cauſa matrimonio interdicitur. Iámne igitur intelligis Orechoui, legem votúmque cœlibatus non dæmoniorum Romanæque Sodomæ, vt quidam garriunt, ſed Cathedræ Petri, ſed SS. patrum, ſed legitimorum conci-

conciliorum , eorumque non modo prouincialiũ, verũetiã vniuersaliũ & Oecumenicorum, hoc est, vt vno verbo dicã, spõsæ Christi Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis doctrinam, & canonem peruetustum, & cum ipsa Ecclesia si non natum, certè adultum, moribusque non vnius alicuius, aut alterius, sed multarum gentium & nationum firmatum esse, pietati & Apostolicis euangelicisque institutis consentaneum? eoque si non omnes, certè occidentales, Africanos, atque septentrionales sacerdotes, sacrorumque ministros & monachos atque monachas teneri? nec licere cuiquã omninò sacris vel operari, vel initiari, nisi se prorsus omni, etiam ante initiationem contra-

ẽti,

cti, matrimonij vsu abdicarit? Qui verò eum vsum postea repetat, eum grauioribus quàm tu putabas, pœnis esse obnoxium? Iámne etiam sentis, non modo Roman. Pontificum vetustiorum iuxta ac recentiorum legibus, quas tamen & ipsas reuerenter à nobis haberi par est, verumetiam receptis antiquitus moribus consensuque publico vel omnium, vel plurimorum Christianorum populorum, etiam Græcorum & orientalium, ac totius Ecclesiæ Catholicæ, & vel teipso iudice sacrosanctis, conciliorum & Apostolorum canonibus interdictum esse Episcopis, presbyteris, ac Diaconis, atque adeò hypodiaconis quoque omni prorsus contractu matrimonij? nec esse legitimum

matri-

matrimonium, si quod contra hoc interdictum contractum sit? Eos verò qui ità contraxerint, cúm alijs pœnis coërceri, tum in Ecclesia Dei viua Christi membra esse desinere, donec se ab istiusmodi adulterinis & incestis contubernijs omninò segregarint? Quæ cum ita sint, cogitabis etiam atque etiam, quid promissi fides abs te exigat, & quid tibi facto opus sit. Prudénsne volensque pereas, an ostensum præcipitium deuites: Et canonésne ecclesiasticos contemnas, & quasi pedibus conculces, an ad eorum normam, vt es pollicitus, temerè abs te commissa corrigas. Hoc est, societatémne ecclesiæ, & corporis mystici compagem propter suaues mulierculæ amplexus (ad

quos

quos tamen iam te ætatis beneficio refrigescere credibile est) asperneris, teque inter publicanos & Ethnicos à Deo alienos annumerari patiaris, an secundũ Christi doctrinam oculum dextrum, ne dicam manum, aut pedem, aut costam scandalum tibi præbentem, & aditu regni cœlestis te arcentem eruas vel abscindas, & abs te proijcias? Ipse quidẽ Christus ne eum quidem se dignum esse affirmat, qui patrẽ aut matrem, aut filium, quamuis licitè & honestè, magis quam se diligat. Quid putas eum dicturum aut facturum esse ijs, qui ea, quæ minus licitè diliguntur, sibi anteponunt? Permagna est, fateor, &, vt ità dicam, violenta vis naturæ, qua cuncti ferimur ad propagandam posteritatem: Sed apud

Mar. 9.
Mat. 10.

G homi-

hominem Christianum & sapientem longè maior esse debet authoritas naturæ conditoris ac domini, qui sua & vitæ æternæ causa naturę vim fieri, & vitam hanc, nedum cuncta eius præsidia & ornamenta proijci, & omnium
Matt.11. & 16. Lu.9.14 & 16. potius, quam animæ iacturã fieri vult à suis. Cui præcepto sicut nauiter obtemperarunt Apostoli, & ex omni memoria apostolici viri, atque etiam infirmiore sexu puellæ, ità te Orechoui, istis ingenij, doctrinæ, eloquentiæ, pietatisque dotibus præditum obtemperare potius, quàm naturæ indulgere conuenit, longè quidem impensius, quam illos: Propterea quod illi vel liberi etiamdum ad certum vitæ genus vocabantur, vel à priori vocatione ad aliam eminentiorem, Deoq; acceptabiliorem

liorem auocabantur, tu à posteriori, & quidem longè inferiori, ꝓletaria ista, vt ita dicam, non Dei vocatione, sed tua ipsius incõsulta siue præsumptione siue vsurpatione ad excellentem illam cœlibatus vocationem, in qua semel suscepta permanere secundũ Pauli præceptum debueras, reuocaris. 1.Cor.7. Illi in ipso etiam calore iuuentæ, posteritatisq; desiderio, tu in flexu ætatis, post tot annorum iugum, siue mauis geniale cõtubernium, nõ exors liberorũ atq; posteritatis. Illi, quę rectè ac licitè habere poterant, siue adeò habebãt, contẽnere ac deserere iubebãtur, tu quæ neq; habere tibi licuit, neque retinere (vt iam cernis) licet. Illi, ne quo impedimento ea forent diuino cultui, vel non suæ, sed alienæ saluti, tu vt cum teip-

ſum nodo iſto, quo te adſtrictum eccleſia Dei, cœlo, vitaq; æterna excludi iam ſentis, exoluas, tum alios multos temeraria ſeceſsione, nonnulla fortaſsè tua culpa, ab eadem ſponſa Chriſti & matre cõmuni Eccleſia, ipſoq; adeò Christo ſalutis authore ſegregatos, & in præceps euntes ab interitu reuoces, communibuſque parentibus rediuiuos reſtituas, ne interitus eorum pœnam æternum luere cogaris. Non intempeſtiuus opinor, monitor ſum, poſteaquã ardor libidinis in te deferbuit: Amicus quidem certè: neque ſerus. Ne dubita. Etiam mortuos Chriſtus exuſcitat. Nõ deerit tibi volenti gratia diuina, quemadmodum innumerabilibus omnium ætatum viris, & iuuenibus cœlibibus virginibus, item & viduis non

non defuit. De quibus omnibus ſi malè exiſtimas Orechoui, vide ne intemperantiæ tuæ velum obtendas, & non tã in illos quàm in Deum ſis iniurius. Præſtat recurrere, quàm male currere. Hoc vel temeritatis eſt ac pertinaciæ, vel erroris certè: Illud & pietatis & prudentiæ, ſi non principis illius & eximiæ, ſubſidiariæ duntaxat. Cuius te vel Magdalenæ nomen admoneat. Hac autem ſola ni fallor ratione etiam liberis tuis conſulere poteris: quorum tu curam ſicuti iure ducere debes, ità duces, ſat ſcio potiſsimam. Vale.



D. Cyprianus epistola 58. cum aliis Episcopis, qui simul erant, [illegible] Leyniug letteras meas. ad Pomponium

Quod si virgines, perseverare nolunt vel non possunt melius est nubant, quam in ignem delictis suis cadant.